

**Lateinische Lektüreübung II (Faller)**  
**Wintersemester 2024/25**  
**Text 2**

Et quo quisque fere studio devinctus adhaeret  
aut quibus in rebus multum sumus ante morati  
atque in ea ratione fuit contenta magis mens,  
in somnis eadem plerumque videmur obire;  
5       causidici causas agere et componere leges,  
induperatores pugnare ac proelia obire;  
nautae contractum cum ventis degere duellum,  
nos agere hoc autem et naturam quaerere rerum  
semper et inventam patriis exponere chartis.  
10       cetera sic studia atque artis plerumque videntur  
in somnis animos hominum frustrata tenere.  
et quicumque dies multos ex ordine ludis  
assiduas dederunt operas, plerumque videmus,  
cum iam destiterunt ea sensibus usurpare,  
15       reliquas tamen esse vias in mente patentis,  
qua possint eadem rerum simulacra venire.  
per multos itaque illa dies eadem obversantur  
ante oculos, etiam vigilantes ut videantur  
cernere saltantis et mollia membra moventis  
20       et citharae liquidum carmen chordasque loquentis  
auribus accipere et consessum cernere eundem  
scaenaique simul varios splendere decores.  
usque adeo magni refert studium atque voluptas,  
et quibus in rebus consuerint esse operati  
25       non homines solum sed vero animalia cuncta.  
quippe videbis equos fortis, cum membra iacebunt,  
in somnis sudare tamen spirareque semper  
et quasi de palma summas contendere viris  
aut quasi carceribus patefactis <velle volare>,  
30       venantumque canes in molli saepe quiete  
iactant crura tamen subito vocesque repente  
mittunt et crebro redducunt naribus auras,  
ut vestigia si teneant inventa ferarum.

**Hilfen:**

Z. 6   **induperator:** = *imperator*.

Z. 22   **decor, -oris, m.:** Schönheit; Schmuck, Zier(de).

**Fragen:**

- 1) Von wem könnte dieses Gedicht stammen? Welche Kriterien spielen bei der Bestimmung eine Rolle?
- 2) Welche sprachlichen Besonderheiten weist dieses Gedicht auf?
- 3) Welche metrische Besonderheit steckt in Vers 14?